Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Mercurii vigeſimâ-tertiâ Decembris.

M. PETRO LE TONNELLIER, Doctore Medico, Præſide.

An Scorbutus ægritudo nova?

QUÆQUE dies, quævis hora nos mutat. moles noſtra blandiſſimis liquoribus rigata, innumeris inſtructa Machinulis, tot miranda functionibus, ſenſim deperit, & in dies extenuatur. Tot hominem circumſtant mala, ut ab illis vix momento ſit liber: in ſeminibus ipſis, quæ vitæ primordia ſunt, fœcunda latent mortis germina. Heu mortalis indocilis ægritudinem pati! Dum loqueris, fugit ætas invida, & vitæ tuæ aliquid perpetuò detrahitur, nullo modo reponendum. Hac ſtant omnia lege. Perennis & conſtans partium harmonia, nulli materiæ conceſſa eſt; aut juvant, aut nocent fugaces ejus moleculæ; pro vario ſitu, mole, figura, impetu hoſtiles vel amicas agunt impreſſiones. Hinc actionum integritas, depravatio; illa expedito partium inſenſibilium motui, hæc earumdem intricato tribuitur: Sic corpus ſalubre, inſalubre. Status neuter in quo quaſi nutat homo inter morbum & ſanitatem, non datur, ſiquidem verè morbus eſt. Ut ut ſit, dira non ceſſat œconomiæ corporeæ in deteriùs mutatio: imò partes meliores vitæ, ſitis nimirùm læta, quæſita fames, ſomnus quietus, habitus boni ad ſummum progreſſi aliquid grave minantur; unde omnibus ſemel calcanda via lethi, ſeriùs, ocyùs, pro variâ temperie, quæ tandiù laudabilis quandiù liquorum legitimus impulſus; horum ſi quis crudus, viſcidus, hærens, ſpiſſigradus ve deerret, tunc oritur affectio ſcorbutica, Hippocrati, veteribuſque aliis non incognita, omni ætati, ſexui, regioni communis, nullumque, ne mirere, caput ſæva fugit.

QUAM tetra, quàm horrenda ſcorbutum comitantur ſymptomata! Cephalalgiæ conſtantes, pertinaces vigiliæ, diuturnæ febres, moleſta tuſſis, præcordiorum gravitas ſæpiùs ad deliquium, nauſeæ, vomitus, cardialgiæ, lienis durities, hypochondriorum tenſio, diri ventris cruciatus, quibuſvis medicamentis ægre curabiles, crurum debilitas, laſſitudo &c. immanis adeo affectûs veluti totidem pediſſequi. Contumacem hunc hoſtem, crudioris ſanguinis ſobolem, ni, cum primum ſævit, edomare contendas, tota peſſum eat hominis machina neceſſum eſt; imò magis ac magis furens, crudeliùs debacchatur. jamjam difficili ſanguine cor tumens, quas priùs ictibus crebris, multùm faciles arterias movebat, parciùs quatit; hinc liquorum penus nimias in partibus nectendo moras, illas non humidat, ſed erodit, inordinationes ſpiritibus infert; nervoſumque omne genus ferit ac diſſociat: inde tumores, ulcera, exanthemata, partium exſiccatio, maraſmus, paralyſis: ſingula quid referam; nil non horrendum oculis obverſatur: vix cutis cohæret oſſibus, frontem turpat fœdus color, gingivarum corruptio, os graveolens, dentes mobiles & atri, turpis macies malas occupat, nec mens ipſa certâ ſede manet. Tam pernicioſa lues non unâ ratione virus ſuum paſſim diffundit; quâcumque ruit, furibunda ruit; non hoſpes tutus ab hoſpite; imminet vir conjugis exitio, illa mariti. Verè malorum ilias ſcorbutus, omnibus flebilis, nullis flebilior quàm procelloſi maris Baltici accolis totoque diviſis orbe Britannis: in promptu cauſa eſt, hoc habent ſeptentrionales plagæ, ut præ cæteris malignorum ſalium parentes feraciſſimæ multiplici acido abundent.

TELLUS in aëre pendet circumfuſo; hoc nullus mortalium, vel temporis puncto, impunè carere poteſt: conſtans ejûs in pulmones actio, vitales inſpirat motus; furtim ingreditur, moxque effœtus egeritur; ſic reciprocatione mirâ reſpiratio procedit: motricia hujûs organa quæris? Non alia, quàm thoracis muſculi; diaphragma. Benè morati motus cauſam expoſtulas? Vis eſt aëris elaſtica; fracto quippè ejus elatere, partes conſidunt, ac immotæ jacent, vice verſa, inſpiratus aër elaterum vi pulmones collatat; horum cellulis veluti totidem pneumaticis ductibus exceptus, eâ quâ pollet partium tenuitate, cruoris penitiores porulos opplet, arctè compreſſus reſilit, fluida agit in vortices, ſervandæ moli providet, ac ſanitatis cauſas aperit, fovet, cumulat. Has dotes aëris delibant multa; procellæ, imbres, tonitruum fragores, circumſtantium corporum effluvia jugiter illas labefactando enervant. Quibus inquinamentis non obnoxius aër! ab ipſis mundi incunabulis vitium fecit: Tot maria, tot lacus, tot flumina, furentibus miaſmatis hunc derepentè venenarunt: temporum, ac tempeſtatum viciſſitudines expertus, modò aſtrictus glacialibus ventis, uſtus modò ſiccis fervoribus, à primigeniâ virtute deſcivit, ac hominem funditus peſſumdedit. Ecquid mirum! Viduus elateribus aër, nec ſanguinem ſubigit, nec ſpirituum generationem promovet: hinc domeſticâ liquorum agitatione ſenſim debilitatâ, innumeri pullulent morbi neceſſum eſt: tanta eſt vis aëris in corpus noſtrum! Ut ille vivendi cauſa, ità & mortis via eſt; quidquid delirat plectimur; verbo dicam, peſſimi aëris inſolens mutatio, non tam morbos ſolvit, quam mutat.

SCORBUTI clades ab aëre vitiatò derivata in populum fluxit; undè intùs foriſque omni ævo deſævìit: quonam amabo magis convenienti nomine deſignares febrem mundò coævam, fœtum hercules materiæ crudæ & acidæ! Quì melius vocares apoplexiam, lethargum, phtiſim, peripneumoiam, partium inflammationes, tumores, aliaque id genus omnia? ſi tot ægritudinum cauſa eadem, ſuccus nempe tartareus, lentus, divortiis natus. Affectionem igitur ſcorbuticam fœculento humori qui tribuit, partes medici abundè deffendit: hanc vero plantam eſſe, cujus morbi omnes rami ſunt, qui affirmat, rem acu tetigit, ſummamque operi imponit manum. Heu quantas ætate noſtrâ radices agis arbos venenata, ſacrilegâ manu, & nefaſto diè poſita in perniciem nepotum. Quæ priſcis temporibus quaſi ſepulta jacebas. Tanta mali labes, quæ olim larvata, & clanculùm miſero homini ſtruebat inſidias: nunc aperto marte, vitæ fundamenta evertit, diruit: undè oriunda, adverte, paucis monſtrabo: memineris, cur priſca gens mortalium tam longæva; cur noſtra tam cito pereat; illa continens in victu, patiens in labore; noſtra tota in epulis, & in otio. Mirùm quot & quantis, hominum ingluvies cibos inquinavit. Salſa & fumo indurata, cum elixis; omni aromatum genere condita, cum aſſis, iniquis junxit amplexibus. Taceo potus benè multos, igneæ naturæ participes, dira gulæ laſcivientis commenta; voluptuaria venena potius dixeris. De inceſtis quoque amoribus ſileo, in quos ruit, de tenero ungui, fœcunda culpæ juventus, non ſecus ac torrens fracto obice ſeſe per declivia præcipitans.

SENECTUS olim expectatâ diù, nunc præmatura, innumeris morbis corpus objicit; ſcorbutum apprimè mentientibus: in ſene gelidus ſanguis, effœti ſpiritus; laborioſa reſpiratio; crurum & pedum aſſiduus dolor ſomnos adimens, fibrarum exſiccatio, in facie pallor, cava lumina, fætor in ore, dentium lapſus; veris coloribus ſcorbutum, adumbrant. Senectutem igitur ſcorbutum eſſe confirmatum, quovis ſeculo oblatum, deerrat, qui negaverit. Neminem latet apud Plinium mentionem fieri ſtomacaches & ſcelotyrbes horrendi affectûs, quo milites Romani in maritimis Belgicæ tractibus correpti ſunt; huncque unum ac eundem morbum, cum ſcorbuto hodierno fuiſſe, certo certius eſt. Melancholici, Lienoſi, de quibus paſſim Hippocrates, ſcorbuticis, mutato nomine, tentantur inſultibus. *Qui phaſin accolunt, præ cæteris fluminibus, maximè, ſtatarium, molles ſunt, & effœminati, craſſiſimi, colore luteo, tanquàm arcuati, ictericive, loquuntur graviſſimè, corpore ſunt ad omnem laborem, & exercitationem pigerrimi: paluſtris enim eſt ea regio, aquoſa, temporibuſque cunctis, pluviis multis, jugibus, & magnis perfunditur,* Et alibi dictator idem. *Qui magnum lienem habent, mali coloris ſunt, malaque ulcera contrahunt, malequeos olet, emaciantur, lien dureſcit, &c.*

Hippo. lib. de aëre, locis, & aquis.

Hippo. de paſſion. ſeu morbis. qui extra. lib.

Non ergo Scorbutus ægritudo nova.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptiſta Gabriel Freſſant.
M. Michaël Sauvalle.
M. Claudius Burlet.

M. Alexander-Petrus Mattot.
M. Claudius Bourdelin, Regiæ Scientiarum Academiæ ſocius.
M. Joannes-Franciſcus Foy-Vaillant.

M. Petrus Bonnet-Bourdelot, Sereniſſimæ Duciſſæ Burgundiæ Medicus Primarius, & Regis perpetuò ordinarius.
M. Joannes-Baptiſta Renatus Moreau, Profeſſor Regius.
M. Renatus le Conte.

Proponebat Pariſiis AUGUSTINUS LIPPI, Parſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1699.